DISPUTATIO JURIS GENTIUM PUBLICI, DE JURE BELLI IN AMICOS, QUAM ... PRAESIDE DN...

Heinrich : von Cocceji, Philipp Sylvester von Danckelman, ...

Digitized by Google

DISPUTATIO
De
Jure Belli in amicos.

SUMMARIA.

1. Dllo eſſe reipubl. tempora belli & pacis, ad qvæ omnia reip. ſtudia referuntur.

2. Utriusq; temporis ſtudia conjunxiſſe ſummos viros & veterum in primis heroas.

3. Fieri non poſſe, ut ſimul ſit bellum & pax in eodem populo.

4. Qvi ergo jura belli & hoſtium in pacatos explicari posſint?

5. Non reſpici hic mera officia mediorum, ſed vera jura belli.

6. Qvale jus ſit in pacatos, qvi commercia cum hoſte agitant? Ratio & defendentium & impedientium videtur eſſe naturalis & vera, ac ipſum jus naturæ collidere.

7. Diſtinctio mercium qvæ ad hoſtem perferuntur.

8. Rerum mere voluptuariarum commercia indubie licita.

9. Rerum non modo bellicarum ſed & qvæ in bello & extra bellum uſum habent, jure communi prohiberi.

10. Sententia eorum qvi ex jure gentium ea diſcernunt & rerum bellicarum tantum prohibent commercia.

11. Qvoad commercia rerum, qvæ & extra bellum uſum habent, ut diſtingvat Grotius.

12. Qvæ in ejus ſententia notanda videantur.

13. Veram rei definitionem contineri duabus regulis ab invicem diverſis; qvæ explicantur.

14. Prioris regulæ duplex limitatio.

15. Hinc conſectaria I. in eum

qvi commeatum venalem hoſti ſubvehit, non ſtatim jura hoſtium exerceri poſſe.
16. II. In eum qvi obſeſſis & fame laborantibus, poſſe.
17. III. Item in eum qvi juvandi hoſtis cauſa vendit.
18. IV. Semper in eum qvi arma & res bellicas.
19. Qvæ ſint merces contrabando?
20. V. Qvid ſi qvis pecuniam credat vel ſolvat alterius hoſti?
21. VI. Qvid ſi tranſitum concedat?
22. Jus belli in pacatorum perſonas qvæ intra fines hoſtium deprehenduntur.
23. Qvid ſi ante bellum ad eos pervenerint?
24. Rejicitur diſtinctio Grotii & qvorundam Interpp.
. Vera diſtinctio inter eos qvi commorantur apud hoſtes, & qvi tantum tranſeunt.
26. Qvid ſi tranſeuntes ad tempus ſubſiſtere cogantur?
27. Qvid de pacatorum navibus, plauſtris, eqvis &c. qvæ apud hoſtem ſunt.
28. Qvid de advenis?
29. An ſpatium ad diſcedendum iis ab hoſte indulgendum?
30. Jus belli in res pacatorum.
31. Qvid ſi res uſum in bello habeant?
32. De rebus pacatorum in hoſtili navi repertis.
33. Qvid ſi hoſtibus deſtinata ſint?
34. De Pacatorum navibus res hoſtiles vehentibus.
35. De Pacatorum agris & prædiis qvæ ſunt intra hoſtile territorium.
36. Notatur Grotius res mobiles & immobiles hic pari jure habens.
37. De Urbibus, munimentis aliisqve pacatorum locis, qvæ hoſtis tuus occupaturus eſt.
38. & 39. Probatur rationibus, te, ſi tibi de eo probabiliter conſtet, hoſtem prævertere & jure gentium loca illa pacatorum, perinde, ac ſi jam occupata eſſent, occupare.
40. Idem probatur exemplis.
41. An pace facta, loca ita occupata reſtitui debeant? Diſtingv.
42. Qvid ſentiendum de cautelis

his qvas addunt Puffendorf, Boecler, & alii.

43. *Reſpondetur ad locum Xenophontis qvem qvidam allegant.*

44. *Idem obtinet in locis pacatorum ab hoſte jam occupatis.*

45. *An hoſtis hoc ſolo prætextu locum pacatum occupare poſſit, qvod aliter ſe tueri neqveat? Neg.*

46. *De Jure belli in pacatos qvi vel qvorum ſubditi hoſti militant alterumq; oppugnant.*

47. *An in magiſtratum inde jus belli ſit, ſi ſaltem ſciverit ac paſſus fuerit? Neg.*

48. *An Urbes aliaq; loca pacatorum, ſi ſe alteri hoſtium, Domino ſciente vel patiente, opponant, occupari poſſint? Aff.*

49. *Cauſa differentiæ inter pacatorum cives ſingulos, qvi hoſtem oppugnant & urbes aliaq; corpora.*

50. *Si pacatus hoſti tuo oppignoraverit urbes, vel loca munita cum pacto antichreſeos, cujus vi uti illis urbibus poſſit in bello, occupare illas bello poſſe, nec hac occupatione tantum jus pignoris qvod hoſtis eſt, ſed dominium ipſum qvoq; ipſo jure gentium acqviri.*

51. *Exemplum.*

52. *Concluſio.*

§. I.

NOn potuit Juri in compendium à ſe contracto argumentum vel gravius vel rei aptius præmittere Juſtinianus Imperator, qvam exponendo duo illa tempora, qvibus rectè gubernandis occupatur Imperatoria Majeſtas, belli nimirum & pacis. Digna res tanto opere, & tanto Imperatore, qvi non minore artificio paucis iſtis verbis univerſi muneris Imperatorii ſummam, qvam paucis illis libellis uni-

verſi juris compendium retulit, reiq; gravitatem orationis majeſtate æqvavit.

§. 2. Hæc vero duo illa tempora ſunt, in qvæ omnis reipubl. ſtatus & gubernatio omniumq; qvæ eo pertinent, ſtudiorum atqve artium ratio diſtingvitur, ut vel ad pacem vel ad bellum referantur. Cujus utriusqve temporis duo ſigna Romanis fuere, caduceum & haſta. Illud pacis, hoc belli, qvæ miſerunt ad hoſtes, ut, utrum vellent, eligerent apud *Gell. Noct. Attic. lib. 10. c. 27.* Et hanc utramq; bello & pace ornandæ reipubl. ac patriæ viam ingresſi ſunt ſummi heroum præſtantisſimi qviqve, atq; ut cum belli tum pacis ſtudiis ac laudibus præ aliis clareſcerent, certatim annixi ſunt. De Scipione Africano illo, Vellejus Paterc. *lib. 1. Semper,* inqvit, *aut belli aut pacis ſerviit artibus, ſemper inter arma & ſtudia verſatus* &c. Idem de Epaminonda *Juſt. l. 6. c. 8.* de Alexandro Severo *Lamprid. in Alex. Sev. c. 16.* de Philippo & Alexandro Macedonibus, Julio Cæſare, Auguſto aliisqve res vulgo nota, adeò ut ſæpe in ambiguo fuerit, qvo genere præcelluerint magis.

§. 3. Cum autem utrumqve, pax & bellum, in idem tempus concurrere & vel in pace bellum, vel in bello pax eſſe non posſit, nec, licet induciæ 100. annorum fiant, uti olim cum Vejentibus apud *Liv. lib. 1. c. 15.* & *lib. 7. c. 20.* interim vel pax esſet, vel bellum esſe deſineret, vanum videri posſit, qvod in diſputationis fronte apparet, *bellum in amicos vel pacatos*, cum & bellum non niſi in hoſtes, ceteros vero latrunculos & prædones esſe doceat JCtus *in l. 24. ff. de captiv. & poſtlim.*

§. 4. Ceterum etſi iſta haurqvaqvam diffitemur, accidit tamen ſæpe, ut in eos, in qvos bellum decretum non eſt (qvos omnes hic voce amicorum complectimur)

ſtimur) aliqvando jura belli & hoſtium exerceri poſſint; idqve non rupta modo ſed & ſalva pace, qvorum exempla qvædam pro diſputationis exercitio paucis excutiemus.

§. 5. Neqve verò hic ad ea jura reſpicimus, ad qvæ medii, vulgò neutrales, utriqve parti tenentur. Ea enim pacis jura ſunt, non belli, uti jus tranſitus, & commerciorum in genere. Neq; ad abuſus illos, qvi in pacatos prætextu juris belli committi ſolent, & neceſſitate bellica leniuntur, non excuſantur. Sed ad ea qvæ etſi pace illicita, tamen bello in pacatos jure gentium permiſſa ſunt.

§. 6. Tale primum eſt, qvod nonnunqvam in eos exerceri poteſt, qvi commercia cum hoſte noſtro agunt. Id verò qvale ſit, maximis inter gentes & populos contentionibus, & adeo probabilibus utrinq; rationibus diſceptatum fuit, ut ipſum prope jus gentium collidere videatur. Ab eorum enim parte, qvi commercia exercent cum hoſte, ratio manifeſta eſt, nam indubie jure gentium Domini res ſuas vendere, cui velint, poſſunt. A parte verò eorum, qvi commercia hæc ſibi noxia impediunt, ratio non minus evidens eſt, nam cum cuiqve à natura ſe juraqve ſua tueri conceſſum ſit, etiam ea conceſſa ſunt, ſine qvibus tueri ea non poteſt, uti, ſi non poſſit, niſi impeditis cum hoſte commerciis. Utrumq; certi juris gentium eſt. Ita in bello inter Regem Daniæ & Stenonem Svecum Lubecenſes comerciorum cum Svecis libertatem jure gentium receptam flagitabant, Danus negabat, natumqve inde bellum fuit. *Crantz. Vandal. lib. 14. c. 29.* Loccen. *Hiſtor. Svec. lib 15. ad annum 1502.* Joh Meurſ. *in Hiſtor. Dan. part. 3. lib. 2. ad annum 1503.* Dani judicium ſecutus eſt Jacobus

cobus IV. Rex Scotiæ, Lubecenſium, Imperator. Meurſ. *d. loc.* Eadem contentio & alias ſæpe ſervuit, cujus rei exempla plurima refert Grot. *de J. B. & P. lib 3. c. 1. §. 5. in Annot.* Nec in eo, qvod nunc per Europam geritur, bello in hac cauſa qverelæ defuere.

§. 7. Eqvidem non eſt illa, qvæ vulgo traditur, rerum diſtinctio, qvarum aliæ uſum tantum habent in bello, aliæ non niſi extra bellum, aliæ & in bello & extra bellum. Grot. *d. c. 1. §. 5.* Verum qvid in qvaq; ſpecie ſtatuendum ſit, ambigitur.

§. 8. Plane ea qvæ nullum in bellis uſum habent, ſed luxuriæ & voluptatis ſaltem inſtrumenta ſunt, nec hoſtium inſtruunt vires, hoſtibus vendi, nemo qvisqvam moleſte ferre poterit, eorumqve cum hoſtibus commercium nulla cauſa eſt, qvæ impediat, nam in his rebus altera illa ratio §. 6. allegata, eorum nimirum qvi commercia ob jus belli impediunt, tota ceſſat, eoq; altera, qvæ Dominis res ſuas vendendi poteſtatem defendit, vires integras retinet.

§. 9. De ceteris rebus valde variant. Jure enim communi earum commercium cum hoſte indiſtincte prohibitum eſt, & non tantum armorum aliorumq;, qvæ non niſi in bello uſum habent, ſed & frumenti, ſalis & ſimilium. *l. 11. princ. ibi: ut ferrum & frumentum & ſales. ff. de Publican. c. 11. X. de Judæis. c. 1. Extrav. commun. eod. tit.*

§. 10. Alii verò hæc diſcernunt, & armorum qvidem ceterorumq; bellicorum inſtrumentorum, qvibus & eos ſubigendo ferro neceſſaria continetur *d. l. 11. princ.* cum hoſtibus commercium jure gentium interdictum cenſent, qvæ res inde *contra bando*, id eſt, *interdictæ* dicuntur.

§. 11. Fru-

§. 11. Frumenti vero ceteriqve commeatus deferendi poteſtatem non ita promiſcue auferunt. Et Grotius qvidem *d. §. 5.* ita rem definit, ut ſi qvis v. gr. obſeſſa urbe, ſubvectione mercium ſpem eventumq; excitatum obſidentis fruſtraverit, cum ſcire id potuerit, teneatur ex culpa ad reſtitutionem damni dati, uti per qvem factum eſt, ut debitor alicujus carcere effugeret, ſi obſeſſorum evidentisſima ſit injuſtitia, etiam criminaliter, damno autem nondum dato ad cautionem. Deniqve ſi obſeſſor ipſe indigeat, etiam capere eum merces poſſe, ait, & necesſitatem ei jus dare, ſed cum onere reſtitutionis.

§. 12. Etſi vero horum pleraq; haut procul à vero abeant, tamen id perinde eſſe videtur, ut cum qvis in vaſta ſylva offendens plures & obverſas in omnes partes vias, eligit caſu eam qvæ vera eſt, vel veræ proxima. Ceterum comparatio illa domini res ſuas hoſti noſtro vendentis & ejus, qvi debitorem è carcere dimittit, planè claudicat, ille enim ſuo jure utitur, hic non item: Neqve convenit, qvod illum neſcientem, ſed qvi ſcire posſit, & hunc ſcientem confert. Sed nec mercatori recte tribuitur judicium de juſtitia belli, nec juri gentium qvadrat, qvod de criminali judicio affertur. Illa vero minime probari poteſt ſententia, qvod necesſitas jus faciat, adeo ut tempore necesſitatis omnia iterum communia fiant, prout ſentit Grot. *lib. 2. c. 2. §. 6.* Deniqve non redditur cauſa differentiæ inter arma & commeatum qvo æqve ac armis hoſtis juvari videtur.

§. 13. Horum igitur unde arcesſenda ſit deciſio, videamus. Scil. duabus regulis contrariis maximè res definienda erit, qvarum prima eſt: *Orto inter duos po-*

pulos

pulos bello, non excludi jure gentium pacatos à libero cum hoſtibus commercio. Jure enim ſuo in res ſuas utuntur, in qvas alteri nihil juris eſt, & cum pax hoſti cum pacatis duret, pacis qvoqve jura, nimirùm commercia inter eosdem durare neceſse eſt. Altera vero: *Qvi hoſti noſtro in bello aſſiſtit, eum hoſtis loco eſſe.* Idem enim actus eſt, ex qvo injuria vel damnum nobis infertur, actus ſcil. tam aſſiſtentis qvam inferentis. Atqve hac re maxime violari amicitiam & hoſtem fieri, *ſi cum hoſtibus te conjungas*, dicebat T. Qvintius Dux Romanus apud Liv. *lib 34 cap. 32. & lib. 32. c. 22.*

§. 14. Verum initio primæ regulæ fines rite conſtituendi ſunt. Illa igitur reſtringi debet 1. ad commercia pacis, non belli, ſeu qvæ propria bellorum ſunt, uti durante bello arma miniſtrare, is enim actus excedit commercia pacis, eoqve magis aſſiſtitur hoſti in bello, qvam commercium pacis cum eo exercetur, qvale intelligi non poteſt illud qvod bellorum proprium eſt, hoſti arma miniſtrare. 2. Commercia illa pacis non cum alterutro hoſtium ſolo, ſed cum utroqve ita æqvaliter exercenda ſunt, ut ne videatur alterum alteri præferre. Hoc ipſo enim deſinit eſſe medius & unius partis judicium magis ſeqvi videtur, atqve adeo in partibus jam eſſe & bello miſceri incipit.

§. 15. Hinc I. is qvi hoſti frumentum venale vel aliàs commeatum ſubvehit, non ideo hoſtis ſtatim loco erit, vel ad reparationem damni tibi tenebitur, etſi forte ea cauſa ſit, cur tu pulſus fueris vel cum damno ceſſeris, vel etſi interdixeris, modo tibi id pro eodem pretio vel tantundem petenti non denegaverit. Nam alias eadem ratione dicendum eſſet, ſi tibi vendidiſſet frumentum, eaqve cauſa fuiſſet, cur hoſtis tuus victus

ſit,

ſit, jam huic eum teneri ad reparationem damni,cum utriusq; hoſtis eadem ratio ſit. Igitur hoc ipſum potius eſt officium verum mediorum & pacatorum, ne commerciorum conſvetudine alteri parti præ altera faveant. Ita cum Teji claſſi Antiochi commeatum benigne præbuisſent, & 5000. vaſorum vini polliciti esſent, Prætor Romanus in eos jus belli exercuit, verum, ſi ſuæ claſſi tantundem præſtarent, remisſurum ſe vim promiſit. Liv. *lib. 37. cap. 27. & 28.* ubi inqvit: *Tejis purgantibus civitatem omnis facti dictiq; hoſtilis adverſus Romanos & juviſſe eos commeatu claſſem hoſtium arguit,* (Dux Romanus) *& qvantum vini Polyxenidæ Duci Antiochi promiſisſent, qvæ ſi eadem claſſi Romanæ darent, revocaturum ſe à populatione militem, ſin minus, pro hoſtibus eos habiturum.*

§. 16. Hinc II. ſi qvis urbem obſesſam clauſosqve portus teneat, civis pacatorum obſesſis fame laborantibus frumentum venale invito hoſte inferre velit, jus belli in eum obtinebit, hoc facto enim non commercium exercet, ſed asſiſtit hoſti eumqve periculo eximit. Nec poteſt qvisqvam ulla re magis hoſti ſe conjungere, qvam ejus inediam commeatu ſublevando, eoq; ab obſesſione ipſum liberando.

§. 17. Hinc III. etſi hoſtile per ſe non ſit, ſi pacatus frumentum hoſti tuo venum exhibeat, ſi tamen id faciat animo hoſtis ſublevandi & ab imminente periculo liberandi, etſi juſto pretio vendat, tamen hoſtium loco erit, & jus belli in eum obtinebit, qvia animo hoſtili non commercii exercendi, neq; animo ſibi lucrandi ſed tibi nocendi id facit. Qvo fit, ut non facto ipſo tantum, ſed & ſtudiis ac animis hoſtium partes tueatur.

§. 18. Hinc IV. etſi ferrum & arma qvoqve commercio in pace commutari, modo non in Barbaros, poſſint, cum nemini injuria tum fiat, nemoq; impedire id poſſit, ubi nemo hoſtis eſt. Nec tunc in bello aſſiſtere intelligatur, ubi bellum non eſt, tamen ſi durante bello id fiat, indiſtincte jus belli in eum qvi diſtrahit, obtinebit. Non minùs enim ille hoſti aſſiſtit, qvi arma & inſtrumenta bellica, qvam qvi militem, manum copiasqve auxiliares, etſi precio accepto, animoqve lucrandi ſummittit: In ſumma enim belli nihil intereſt, an qvis hoſti tuo, odio tui an ſpe lucri aſſiſtat; nam & milites mercenarii hoſtium indubie pro hoſtibus nobis ſunt & jus belli in eos valet, etſi mercede & ſui lucri cauſa, non odio noſtri operam hoſti noſtro locent ſuam.

§. 19. Arma itaqve & inſtrumenta bellica durante bello ſemper ſunt merces *interdictæ* ſeu *contra bando.* Idqve communi gentium conſenſu firmatum eſt, & qvanqvam Grot. *ad d.* §. *5. in Annot.* referat, Gallos commercia amicis ſuis cum hoſte permittere, & in eam rem edicta Galliæ plura alleget, iisdem tamen edictis excepta ſunt arma & res bellicæ.

§. 20. Hinc V. ſi qvis hoſti, etſi indigenti maxime, pecuniæ ſummam credat, qva ipſe arma militesqve comparat, nullum ideo erit in ipſum jus belli, cum ea qvoqve res liberi commercii & pacis ſit, modo intra officium mediorum id fiat, juxta §. 15. At ſi hoſtem noſtrum inopia pecuniæ in præſenti periculo jam conſtitutum credita pecunia inde liberet, vel animo alteri nocendi id faciat, obtinebit in eum jus belli. *d.* §. *15.*

§. 21. Hinc VI. nihil committit amicus, qvi hoſti noſtro tranſitum permittit; cum nec jure gentium denegari

negari innoxius tranſitus poſſit; verum ſi eum hoſti noſtro permittat, nobis neget, hoſtium partes ſeqvitur.

§. 22. Sunt porro & alia bella in amicos, ſive eos qvi ipſi hoſtes non ſunt, & in eorum tum perſonas tum res. In perſonas eorum bellum eſt, ſi intra hoſtium fines deprehendantur; adeò ut formulâ qvoqve expreſſum fuerit: *Hoſtem fore illum, qviqve intra præſidia ejus ſunt.* Grot. *d. Tract. lib. 3. cap. 4. §. 6.* &, licet expreſſum non eſſet, tamen tacitè contineri ſtatuit Cn. Manlius apud Liv. *lib. 38. cap. 48.* Cujus rei non illa ratio eſt, qvod nocere poſſint, vel qvod intelligantur hoſtium partibus ſe immiſcuiſſe, easqve probaſſe, ſed qvod, cum ſub Imperio & poteſtate hoſtium ſint, teneantur & cogi poſſint ejus cauſam tueri & nobis nocere; atqve adeo vires hoſtium augeant. In eos igitur, qvi, etſi animis hoſtes non ſint, tamen præſentis officii neceſſitate in nos armantur, vel armari poſſunt, viciſſim nobis jus belli integrum erit.

§. 23. Unde ſane dicendum videtur, nihil intereſſe, bello jam commiſſo, cognitoqve, an ante bellum ad hoſtem pervenerint, contra ac ſentit Grot. *d. cap. 4. §. 7.* ejusq; Interpretes, qvi ita eos diſcernunt, ut ante bellum ad hoſtem profectis tribuant modicum tempus, intra qvod diſcedere poſſint, qvod ſi negligant, præſumantur jam, qvi hoſtili conſvetudine utuntur, hoſtili in nos animo eſſe.

§. 24. Verum & illi, qvi exorto bello hoſtes adeunt, alias & neceſſarias cauſas ad hoſtem proficiſcendi & qvi ante bellum eo profecti ſunt, apud hoſtes manendi habere poſſunt, adeoqve vel utrisq; ſpatium illud indulgendum eſt, vel neutris. Neqve verò ex incertis præſumtionibus certum jus naturæ, inprimis

qvo poteſtas in vitam hominis ſtatuitur, inferri debet, neqve ex ſola poteſtate nocendi hoſtis æſtimari. Deniqve nititur hæc res poteſtate & necesſitate juris noſtri tuendi, qvæ naturâ nobis competit, qvocunq; animo ſint, qvi inter hoſtes degunt.

§. 25. In utrisqve igitur par jus, & ita qvidem ſtatuendum eſt, ut diſtingvatur inter eos, qvi ſaltem tranſeunt per terras hoſtiles, & eos qvi ibi commorantur. In hos jus belli exerceri poteſt per rationes §. *22*. In illos non poteſt. Nec enim pacati, qvi per hoſtium terras tranſeunt, detineri ibi posſunt, cum jure gentium liber tranſitus omnibus pacatis debeatur, atqve adeo *d.* §. *22.* qvod præſentis officii rationibus ad juvandam civitatem, ubi commorantur, oppugnandosqve hoſtes adigi posſint, tum omninò cesſent, & contra, qvi liberum tranſitum eorum impediunt, & ad munia belli adigunt, contra jus gentium committant.

§. 26. Qvod ipſum procedit qvoqve, etſi transeuntes vel valetudinis vel rerum ſuarum cauſa ad tempus ibi ſubſiſtere cogantur; cum hoc ipſum qvoqve ad jus tranſitus pertineat, & cui tranſitus debetur, ea qvoqve, qvæ ad tranſitum necesſaria ſunt, vel ſine qvibus commode tranſiri neqvit, competant: modo animum tamen tranſeundi tantum, non commorandi habeant ac retineant.

§. 27. Atqve idem hoc obtinebit qvoqve eadem diſtinctione in pacatorum navibus, plauſtris, eqvis &c. uti ſi præternavigandi aut transeundi cauſa eo pervenerint, nullum in eas res jus belli ſit, ſecus vero, ſi apud hoſtes commorentur. Si vero ad uſum belli ea parata ſunt, Kriegs-Schiffe/ Heer-Wagen &c. ad res bellicas

licas pertinent, qvo & eqvi, in primis curſorii referendi, qvi proinde pro mercibus *contra bando* magis habendi.

§. 28. Etſi igitur advenæ ſint, qvi domicilium perpetuum eo loci non habent, ſed vel contagionis vel alterius periculi evitandi, vel rerum ſuarum negotiorumqve cauſa commorantur, uti pro temporum neceſſitatibus ad munia belli, reſiſtendumq; hoſti cum cæteris adigi posſunt, ita & mutua in eos armorum licentia erit.

§. 29. Et licet æqvum videatur, ut iis, qvi ante bellum jam apud hoſtes morati ſunt, ſpatium aliqvod indulgeatur, qvo diſcedere posſint, non magis tamẽ illi, qvam cives hoſtium ipſi, qvi non minus poteſtatem diſcedendi jure gentium habent *l. 12. §. 9. ff. de capt. & poſtlim.* id exigere posſunt, cum utriqve ſint ſub hoſtium imperio, & intuitu præſentis periculi jus civitati natum ſit, ejus propulſandi cauſa eos detinere, qvod jus in tranſeuntes, qvi ſaltem tranſeunt, & ideo jure Gentium libero utuntur, non competit.

§. 30. Sed anne & porro eadem ratione inferendum jus belli in alias qvoqve pacatorum res apud hoſtes deprehenſas, v. gr. mobiles apud hoſtes depoſitas, vel iis commodatas, locatas, oppignoratas, vel in res hoſtium pacatis debitas? Id vero non videtur, cum res iſtæ uſum in bello non habeant, nec earum acceſſione vires hoſtium in nos augeantur, & adeo viciſſim in eas jus belli eſſe qveat, ſi pacatorum ſint non hoſtium. Et cum earum rerum occupatio vel vaſtatio non fieret tuendi noſtri, ſed tantum lædendi alterius cauſa, lædi tantum hoſtes posſunt, non pacati, niſi nos contra ipſos vel ipſorum res tuendo.

§. 31. Plane ergo, ſi uſum in bello habeant pacatorum res apud hoſtes depoſitæ, non erunt exemtæ juri belli, uti ſi frumenta, ſales &c. depoſita ſunt, nedum ſi arma. Iis enim cum hoſtes vel ſe conſervare vel adverſus nos uti posſint, necesſario nobis jus qvoqve competet, hæc hoſtium præſidia & qvaſi munimenta invadendi, eodemqve jure, qvo & hoſtes ipſi, ea occupandi. *inf.* §. *39.* Idemqve erit, ſi pecunia numerata depoſita ſit, qva necesſaria ad bellum comparari posſunt.

§. 32. Ducit nos materiarum ordo ad res pacatorum, qvæ in hoſtium navibus reperiuntur, ſed ſi appareat, eas esſe amicorum, non hoſtium, cesſabit jus belli, cum nec hoſtium ſint, nec in hoſtium poteſtate, ut iis abuti ad reſiſtendum nobis posſint. Ita bene judicatum in Belgio refert Grot. *d. lib. 3. cap. 6. n. 6.*

§. 33. Alia vero qvæſtio eſt, ſi res illæ ad hoſtes noſtros deſtinatæ ſunt, etſi non traditæ, nam illæ ſi juvandi hoſtis cauſa ſubmittuntur, hoſtiles ſunt, & diripi posſunt, ſupra §. *17.* Si nudi commercii gratia, non qvidem capi posſunt, ſed ſi nobis pretium idem offerentibus Domini eorum vendere nolint, exuunt mediorum partes & hoſtiles ſeqvi incipiunt. *ſupr.* §. *15.*

§. 34. Nec aliter decidenda res eſt, ſi è contrario navis amicorum merces hoſtium ferat, merces enim diripi posſunt, ſalva navi, modo dominus nudi commercii, non juvandi hoſtis animum habuerit, juxta ea qvæ ante jam expoſita ſunt.

§. 35. Seqvuntur deniqve res amicorum immobiles, agri ſcil. qvi in hoſtium territorio ſunt. Et bene qvidem definit Grot. *d. cap. 6.* §. *26.* & Interpp. ad *d.* §. *26.* agros amicorum occupari & acqviri jure belli

non

non poſſe, niſi hoſtis in iis jus aliqvod, v. gr. pignoris, uſusfructus &c. habeat; tantum enim hoc jus hoſtis acqvirit, non agrum. Unde & imperium ipſum in eos agros, qvia hoſtium eſt, jure belli acqviritur.

§. 36. Sed illud probari non poteſt, qvod id indiſtinctè de rebus amicorum, qvæ apud hoſtes ſunt, ſtatuit Grot. ſive mobiles ſint, ſive immobiles. *d. cap. 6. §. 5. & 6. & 26.* cum mobilium alia tractatio ſit, & jus aliud qvod jam ſupra diſcrevimus; mobilia enim adhiberi ad inſtruendum bellum aliqvando poſſunt, ædificia & prædia non item: de munimentis enim non qværitur. Qvod ſi tamen ex agro meſſis imminet, qva abuti hoſtis noſter poſſet, meſſem hanc præripere vel vaſtare, non agrum occupare poſſumus.

§. 37. Pervenimus itaqve jam ad loca pacata, urbes, arces, terras ſcil. amicorum. Ibi qværitur, an ſalva amicitia illa aliqvando jure belli occupari poſſint? Et ſpecies qvidem, de qva dubitari poſſet, eſt, cum qvis metuit, hoſtis urbem aliqva loca amici Principis vel civitatis occupet, indeqve forte ſibi noceat atqve incommodet, & vel hoc metu vel etſi metus non ſit, hoſtem prævertit & locum occupat.

§. 38. Qvod ſi igitur probabiliter tibi conſtet de hoſtis tui conſilio locum eum occupandi, nec de eventu ob loci infirmitatem dubitari poſſit, dicimus, locum hunc etſi pacatum & amicum jure belli & gentium à te occupari poſſe, eaqve occupatione tibi idem acqviri, qvod hoſtis habiturus fuiſſet.

§. 39. Et qvidem licitam eſſe hanc occupationem his rationibus oſtendimus. Nam I. nullum civitati pacatæ damnum datur hac occupatione, ſed hoſti, non enim civitas hoc facto damnum ejus rei patitur, qvam

æqve

æqve perditura eſt cesſante hoc facto. Ita deciſum eſt in ſpecie, qva qvis tempore incendii deſtruit ædificium ad qvod ignis jam pervenerat, abſolvitur enim ab omni actione, qvia nullam injuriam vel damnum dare videtur, *æqve perituris ædibus*, ut dicitur *in l. 7. §. 4. ff. qvod vi aut clam.* Hoſti vero damnum inferre licet. Hinc II. in ſumma hujus rei nihil refert, an hoſtis jam occupaverit, an certo occupaturus ſit, qvia utroqve caſu nulli niſi hoſti, & nihil niſi qvod hoſtis eſt vel futurum eſt, aufertur. Qvin III. cum hoſti jure belli eripi posſit qvod jam qvæſitum habet, multo magis qvod nec dum qvæſivit ſed acqviſiturus eſt. Neqve vero IV. qvisqvam dubitat, ſi hoſtis tuus locum pacatum bello jam occupasſet, te jure belli eundem vicisſim extorqvere posſe, neqve tum Dominus eum aufert ſed hoſti, qvod Legati Theodorici Regis qvi victo Odoacro Italiam occupaverat, oratione ad Regem Francorum ita exponunt: *Nihil prorſus ademit* (Theodoricus) *Romanis, qvippe qvi Italiam jam perdiderint, ſed Odoagro tyranno debellato, qvæ illius fuerant, belli jure obtinuit.* Agath. *de bell. Goth. lib. 1.* cum tamen conſtaret & faterentur, Odoacro nihil juris in Italiam fuisſe. Fruſtra vero expectas, dum hoſtis occupaverit eum locum, ſi occupaturum eum fuisſe certum ſit.

§. 40. Atqve hoc inter gentes receptum videtur, nam ut vetera illa prætereamus, qvod Franci Italiam jure belli occuparunt, qvam Longobardi & Saraceni occupaturi erant, recens memoria eſt in bello inter Hiſpanos & Belgas geſto occupatarum urbium in pacato Imperii ſolo ad Rhenum ſitarum. Initium factum ab Hiſpanis tentata primum tum capta anno 1590. Rhenoberca oppido Colonienſi, qvod Belgii ordines

dines

dines ſeqveſtro tenebant. Grot. *de Reb. Belg. lib. 1. p. 185.* Et deinde hoc pacati Principis & Imperii oppidum qvinqvies adhuc ultro citroq; à Belgis & Hiſpanis bello captum fuit. Meteran. *Contin. Hiſtor. Belg. p. 3. lib. 51. ad annum 1633.* Qvo exemplo deinde cum Hiſpani alia qvoqve Imperii & pacatorum urbes vicinas, uti Trajectum ad Moſam, Orſaviam, Emricum, Veſaliam occupare vellent vel cepiſſent Belgæ occuparunt. Grœnweg. *in Not. ad Grot. de Jur. Bell. & Pac. lib. 2. cap. 2. §. 10.* idemqve accidit cum Tillius Emdam ſollicitaret. Met. *d. p. 3. lib. 40. ad annum 1623.* Alia vero cauſa Caleti fuit, qvod oppidum Anglorum Galli in bello cum Hiſpanis, cum nullum periculum esſet, occuparunt, nec etſi pace id cautum esſet, reſtituerunt de qvo Cambd. *in Vit. Eliſ. p. 1. ad annum 1559.*

§. 41. Sed qvo effectu occupatio ejusmodi valeat, & num plenum jus belli tribuat, an vero periculo cesſante reſtitui debeat, disqviritur. Eqvidem ſi verè amicorum ſeu ſociorum is locus ſit, eos jure poſtliminii eum recipere conſtat. Sed de eo non agitur, verum de caſu, qvo cesſat jus poſtliminii, uti ſi locus mediorum ſit. Qvo caſu id jus occupanti acqviri dicendum eſt, qvod hoſtis, qvi occupare volebat, habiturus eo facto fuisſet: adeoqve & priſtino loci iſtius domino pacato jus qvod habuit contra priorem, qvi capere voluit, vel prior cepit, contra alterum qvoq; occupatorem integrum eſt, idqve bello qvoq; tueri poteſt, cum poſterior non ſuccedat in jus Domini, cum qvo bellum non fuit, ſed in jus hoſtis, qvi occupavit vel occupaturus fuit. Igitur ſi notorium eſt, hoſti nihil juris in eum locum pacatum esſe, ſed tantum commodi ſui cauſa invaſionem moliri, ut Hiſpani prædi-

C ctas

ctas Imperii urbes,alter qvidẽ prævenire poteſt,& jure occupabit,qvod alter injuria feciſſet; ſed ceſſante periculo reſtituenda res eſt Domino refuſis qvæ in cuſtodiam loci impenſa ſunt. Si vero hoſtis noſter aliqvid juris in locum prætendit, & ideo occupare voluit, in eandem contentionem alter qvi deinde occupavit ſuccedet, & contra loci qvoq; Dominum idem jus armis aſſerere poterit.

§. 42. Plane vero à qvæſtionis momento abeunt Puffend. *de Jure Nat. l. 2. c. ult.* §. *ult.* Bœclerus aliiqve Interpp. *ad Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 2.* §. *10.* qvi id vel negant, vel addunt, dominum loci prius monendum, oblatis qvoqve ſumtibus, ut ipſe locum cuſtodiat, nec refundendos ſumtus, niſi qvos ipſe Dominus facturus fuiſſet. Verum qvæſtio eſt de caſu, qvo probabiliter conſtat, dominum loci imparem eſſe tuendo loco & ceſſurum potentiæ hoſtili; Qvod ab armorum & munimentorum peritis haut difficulter diſcernitur, & religioni Principis, qvi judicem non habet, relinqvendum eſt. Ubi fruſtra eſt illa admonitio, & qvod non tantum monere ſed & ſumtus ei offerre debeat ab omni ratione juris plane abhorret, atqve hæc talia mere cerebrina ſunt.

§. 43. Nihil vero huc pertinet, qvod de Cyro refert Xenophon *l. 3. Cyropæd.* qvi munitos montium vertices, de qvibus Chaldæi & Armenii contendebant, non reſtituit ſed retinuit. Fuere enim illi montes, unde Chaldæi prædandi cauſa decurrere ſolebant, qvos cum Cyrus victis Chaldæis occupaſſet, de iis jure belli & victoriæ legem dicere potuit. Qvod nihil habet commune cum occupatione loci pacati.

§. 44. Eadem qvæ de terris aut urbibus pacatis, qvas

qvas hoſtis occupaturus erat, diximus, pari ratione applicanda ſunt ad caſum, qvo jam occupavit, per rationes & exempla præmiſſa. Sive enim nihil juris, ſive aliqvod ſibi in eas arrogaverit, eadem erit hactenus deciſio. Qvæ & ipſa, cum miſſi ad Belgas Legati urbes occupatas aliaqve Bruxellis repeterent, prolixe ſimilibus prope rationibus demonſtrant, & loca iſta non dominis ſed communi hoſti erepta fuiſſe, oſtendunt apologeticis illis litteris die 13. Aug. 1590. ſcriptis, qvas exhibet Meteran. *Hiſt. Belg. l. 16. ad ann. 1590.*

§. 45. Alia vero qvæſtio eſt, An hoſtis locum pacatum ideo, qvod eo necesſario utatur, ad ſui defenſionem occupare, & defenſionis necesſitate tueri ſe posſit? Qvod plane negandum, cum jus naturalis defenſionis intelligendum ſit, ſine alterius pacati & inſontis injuria. Necqvisqvam jure alteri pacato injuriam facere, &, qvod aliter jus ſuum tueri neqveat, cauſari poteſt. Nam contra pacatus eadem ratione defenſionis necesſariæ alterum repellere, omniaq;, ſine qvibus ſe tueri neqvit, jure facere poteſt, ac longe qvidem juſtius is injuriam illatam propulſare qvam alter inferre ex regulis naturalis defenſionis posſet. Etſi igitur hanc qvoqve cauſam allegent Belgæ apud Meteran. *d. loc.* & alii, tamen ſola non ſufficit, & tantum inter cetera adducitur.

§. 46. Seqvitur & aliud genus belli in pacatos, & in primis ſi ſubditi eorum hoſtibus noſtris operam locent vel præſtent. Qvo caſu certum qvidem eſt, in ipſos ſubditos jus belli esſe, tanqvam hoſtium partes, at non in civitatem, niſi publica autoritate miſſi ſint ac militent. Ita & Romani hanc cauſam ſemper definivêre, uti cum inter Volſcos hoſtes deprehenderen-

tur qvidam Tuſculani Romanorum amici,& caperentur, prima percunctatio fuit, *publico an privato conſilio id egiſſent?* Cum teſtarentur, publico conſilio ſe militâſſe, decernitur bellum in Tuſculanos, ſed cum id poſtea non appareret, remittitur. Liv. *lib.6. cap.25.*

§. 47. Unde patet, etſi ſciverint & paſſi fuerint magiſtratus, qvosdam è civibus militare hoſti noſtro, non tamen ideo jus belli in eos eſt, neqve mediorum vices illi deſerunt, qvia ea res jure gentium privati arbitrii eſt & civibus naturâ liberum, cui velint, operas præſtare. Tum igitur demum civitas hoſtium more agit, cum publico conſilio ſubditi militaverunt, & patres ſeu magiſtratus ejus rei autores facti fuerunt.

§. 48. Qvid verò ſi non ſinguli ſed integra oppida vel municipia pacati Principis uni hoſtium ſe oppoſuerunt, an occupari & jure belli populus iis privari poſſunt? Neg. id enim detrimentum publicum eſt, & poſſunt qvidem ſinguli ſibi & rebus ſuis obeſſe, at municipes non poſſunt civitatem ſuam facto ſuo avellere à corpore reip. & bello decernere, modo Princeps factum improbet, prohibeat, & pro virib9 impediat; ejus enim eſt arcere injurias ſubjectorum. At ſi conniveat, taceat, indulgeat, probat factum autorqve injuriæ eſt, adeoqve non in municipium modo, ſed in ipſum Principem qvoqve jus belli integrum erit.

§. 49. Hoc igitur caſu neceſſe non eſt, ut publica autoritate expreſſa fiat, uti in ſingulis. Singuli enim qvi operas ſuas alii præſtant, ſuo jure utuntur, qvod magiſtratus non tenentur prohibere; At municipia aliaq; corpora non poſſunt in pace excedere fines mediorum, & denegare ea, qvæ juris gentium ſunt, alterutri partium, ſed injuriam faciunt, qvam Princeps, ſi non

non prohibeat, ut debet, probat. Atqve in id aptè reſpondit Teuta Illyriorum Regina Romanis: *Sibi curæ fore, ne qva Romanis publice injuria fiat, ſed non teneri Reges impedire qvo minus ſubditi privatum uſum ex mari capiant.* Polyb. *l. 2. Hiſt. c. 8.* Sed perperam id applicat ad prædationes qvæ ſemper illicitæ ſunt. Unde legatus Romanus hactenus id coarguit, qvod Reges niſi piraticam civibus ſuis prohibeant, inde teneantur. Polyb. *d. l.*

§. 50. Hinc vero manifeſtum eſt, ſi Princeps tale jus alii in ſuas urbes &c. concesſit, cujus vi ille armare urbes illas in nos posſit; uti ſi creditori Principi oppignoraverit cum pleno jure antichretico & inprimis ita, ut homagium qvoqve ipſi præſtare teneantur, atqve is creditor bellum moveat, hoſti ejus in has urbes, etſi ſint alterius pacati Principis, æqve ac in reliqvas urbes ejus proprias jus belli erit: cum ipſi domini facto in eum ſtatum pervenerint, ut ipſo qvoq; invito hoſtium more agere & creditor iis æqve ac propriis munimentis uti posſit ad oppugnandum hoſtem.

§. 51. Atq; hæc tota cauſa in facto contigit inter duos fortisſimos Imperii Principes medio ſeculo XV. cum bello inter eos orto alter urbes alteri jure antichretico, ut diximus, oppignoratas occuparet, idqve in conſpectu domini & domino ſciente, patiente, nec qvicqvam contradicente. Qvin adeo hæc res tum caruit dubio, ut dum hæreret victor in unius iſtarum urbium oppugnatione, ipſe dominus pacatus precio pactus fuerit cum ipſo, ut ab oppugnatione diſcederet.

§. 52. Atqve hæc hactenus de bellis in pacatos, vel eorum res & terras pro diſputatione tractare propoſitum fuit, in qvam rem & alia plurima afferri, &

hæc ipſa, qvæ diximus, prolixius uberiusqve exponi illuſtrariqve potuiſſent. Verum pro diſputationis & exercitii Academici inſtituto, deniqve ratione temporis habita, compendio & per indicem qvaſi tractasſe ſufficiet, eaqve B.L. æqvi boniqve conſulet.

****

COROLLARIA.

1. *Summo Principi omni Jure æqve competit poteſtas in omnes perſonas & res Eccleſiaſticas ac ſeculares.*
2. *In Pac. Oſnab.* art. 5. §.30. *qvæſtio de jure reformandi non fuit inter Principes & ſubditos, ſed inter Principes & Clericos.*
3. *Legatus ex contractu vel delicto conveniri poteſt in loco, ubi contraxit vel deliqvit.*
4. *Neq; de eo apud veteres unqvam dubitatum fuit.*
5. *Nobilitatem nemo conferre poteſt niſi ſubdito ſuo.*
6. *Partus illuſtris non ex uſu illuſtrium familiarum editus pro incerto habendus eſt,*
7. *Primogenitus, etſi heres, non tenetur factum defuncti jus primogenituræ intervertentis præſtare.*
8. *Ex teſtamento privati minus ſolenni nec in conſcientia qvisqvam aliqvid præſtare tenetur.*
9. *Princeps ſolutus eſt legibus civilibus, etiam qvoad vim directivam.*
10. *Agnatus etſi degat in loco ubi res expeditoriæ non obtinent, non poteſt tamen jure retorſionis ab iis excludi.*
11. *Neq; jus retorſionis eſt inter loca, ubi ſaltem alius atq; alius ordo ſuccedendi eſt.*
12. *Tenetur mulier, qvæ SCto Vellejan. renunciavit ſaltem* an Aydes ſtatt / *& magis* bey dem Wort der ewigen Wahrheit.
13. *Portio ſtatutaria conjugis minuitur per æs alienum, non per legata.*
14. *Nec detrahitur ante computationem legitimæ filiorum.*
15. *Ad ſuſpendium damnatus, ſi rupto laqveo vivus decidat, iteratò ſuſpendi non debet, ſed cauſa cognita denuo ſtatuendum erit.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

SOLI DEO GLORIA!